

Serenissimae Dominae

1393

Non erat opus, ut Celsitudines vestrae serenissimae mihi gratias
agerent, molto autem minus ut referrent: tanta enim, et tot sunt be-
neficia collata in Societatem Jesu, ac per hoc, in me, filium, et mem-
5 brum ejus, a Celsitudinibus vestris, et a tota serenissima domo aus-
triaca, ut nunquam simus pares futuri tantae obligationi quibuscum-
que obsequiis, et servitiis nostris. Quare non ut gratiae relatio-
nem, sed ut signum nobilissimum regiae munificentiae vestrae, et
pignus verae charitatis in me famulum vestrum, accepi pretiosam cru-
10 cem ad me transmissam. Et quamvis ego auro, et gemmis in rebus meis
non utar, neque istis speciebus delecter: fateor tamen Dominicam
crucem omni ornamento esse dignissimam, et sic interpretor mentem
Celsitudinum vestrarum, ut mihi nudam crucem, aurum et gemmas cruci,
vel potius Domino pro nobis crucifixo donare voluerint. Ego igitur
15 gratias ago quas possum maximas, Dominus referet gloriam sempiter-
nam. Amen.

Egi cum Sanctissimo Patre nostro, Summo Pontifice, de interpreta-
tione Brevis, a quo prohibetur extractio sacrae suppellectilis ex Ec-
clesia: et Sanctitas sua jussit ut scriberem Celsitudinibus vestris,
20 liberum se ipsis relinquere, ut possint pro suis decentibus domesti-
cis, et collegii Societatis Halensis usibus extrahere, commodare, at-
que extra ecclesiam portare sacram illam suppellectilem, non obstan-
tibus verbis ipsis Brevis, quae contrarium sonare videntur. Sua enim
Sanctitas in hac parte dispensat, quatenus opus sit. His opto Celsi-
25 tudines vestras bene valere, atque in amore Domini magis, ac magis
proficere, et mei quoque in sanctis precibus meminisse. Datum Romae,
die 28 februarii 1614. | Serenissimarum Celsitudinum VV.
devotissimus, atque addictiss/us servus